



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Virtute Religionis, Et Ei Annexis; Continens quatuor Tractatus
Theologiae Moralis praecipuos. Primus, in ordine decimusquartus, de
Iuramento, & Adiuratione. Secundus, de Voto. Tertius, & charior Authori,
de statu Religioso. Quartus, de vitiis oppositis Religioni

**Castro Palao, Fernando de
Lugduni, 1669**

Quid sit votum. punct. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76572)



TRACTATUS XV. VIRTUTIS RELIGIONIS, QVI EST DE VOTO.

VOTUM, sicut & Iuramentum ad virtutem Religionis pertinere, in com-
perto est apud omnes. Quod quâ ratione contingat, in sequentibus ex-
plicabimus. Votum aliquam cum Iuramento habet similitudinem. Vt
constat ex iis, quæ superiori Tractatu dicta sunt. Eâque de causa expli-
cata essentia Iuramenti, voti naturam pergitur explicare. Duplicem di-
sputationem hic Tractatus continebit. Prima aget de illius essentia, & obligatione. Secunda
de illius dissolutione.



DISPUTATIO I.

De essentia voti & illius obligatione.

PUNCTUM I.

Quid sit votum.

SUMMARIUM.

- 1 Apponuntur varie significaciones voti.
- 2 Votum in significacione propria assumptum definitur.
- 3 Quæ sit differentia inter votum & promissionem homini factam.
- 4 Ex actu intellectus & voluntatis constat votum.

SI nomen voti spectemus; æquiuocum est: Duplicem enim habet significacionem. Significat namque voluntatem, seu desiderium alicuius boni honesti obtinendi. Iuxta illud Plinij *epist. 45.* Hanc ego vitam voto & cogitatione præsumo, id est, hanc ego vitam opto, & cogitatione euenturam; & illud *Prou. 3. 1.* Quid dilecte mi, quid dilecte veri mei, quid dilecte votorum meorum, in quem animarum (vt ait Theodorus Peltranus) omnia mea desideria, & vota & studia tendunt. Hinc certum est, voti compotem dici eum qui desiderium suum assecutus est; etque tem pro voto succedere, si pro desiderio succedat. Deinde pressius & proprius *votum* significat promissionem Deo factam & inducentem obligationem. Constat ex illo Ciceron. *3. de natura Deor.* Nonne animaduerteris ex tot tabellis pietatis, quam multi votis vim tempestatis effugerint? Et *1. de legibus.* Diligentia votorum satis in lege dicta est, ac voti sponso quo obligamur Deo; perna vero violatæ religionis iustam excusationem non habet. Idem manifestè liquet ex sacris literis *Deuteronom. 23.* inquit Textus. Cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requirit illud Dominus Deus tuus; & si moratus fueris, reputabit tibi in peccatum. Si nolueris polliceri (id est votare) absque peccato eris. Quod autem semel egressum est de labiis tuis, obseruabis, & facies, sicut promissisti Domino Deo tuo; & *Numeri 30.* Ibi cum se voto obstrinxerit &c. & *Eccles. 5.* Si quid vouisti Deo; ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis, & stulta promissio. Ex hac posteriori significacione vapote magis propria ortum habuit prima significacio vt bene Ambrosius Calepinus aduertit, verbo *votum.* Cum enim ea, quæ magnopere desideramus, adhibitis votis à Deo petere solemus. Factum est, vt vota accipiamus pro optatis. Sed est translaticia significacio, & aliena à præsentis instituto. In præsentis ergo votum sumitur pro promissione Deo facta.

2. Sic sumptum votum definitur communiter à Doctore Ferd. à Castro. *Sum. Mor. Pars 1. 11.*

bus, vt sit promissio deliberata, & spontanea Deo facta de meliori bono. Priora verba ponuntur loco generis. Quia mediis illis votum conuenit cum promissione homini facta. Ab illa verbò distinguitur, ex eo quòd fiat Deo; & quòd fiat de meliori bono. Sic colligitur ex Diuo Thoma *2. 2. quæst. 88. art. 1. conclusio* & traditur expressè *leg. 1. tit. 3. partia 1.* Ibi voto tanto quere dicitur como promessia que homo face à Deo. Gregor. Lopez ibi Abbas ceterique Doctores in *cap. literarum de voto*, Siluester ceterique summunt verbo *votum.* Nauarr. *c. 12. n. 24.* Ioan. Gutier. *lib. 2. canonicarum quæst. c. 2. num. 1.* Azor. *1. parte institutionum moralium lib. 1. c. 12. alias 13. q. 1. & seqq.* Lessius *lib. 2. c. 40. dub. 1. in principio.* Suarez *tom. 2. de Religione tract. 6. de voto in proemio & in principio.* Greg. de Valentia *tom. 3. disp. 6. q. 6. partia 1.* Sanchi *lib. 4. in Decalog. c. 1. num. 1. Bonac. tom. 2. disp. 4. q. 2. de voto punct. 1. & alij plures.* Qui ex supradicta definitione colligunt, ad votum quinque requirit. Primo deliberationem, hoc est, libertatem. Secundo; propositum, id est voluntatem vouendi. Tertio; promissionem, id est ipsam voluntatis determinationem. Quarto; vt Deo fiat promissio, Quinto: vt fiat de meliori bono. Quas conditiones in sequentibus explicabitur.

3. Debes tamen aduertere, hanc esse differentiam inter promissionem homini factam, & eam, quæ Deo, quæque voti rationem habet. Quod promissio homini facta necessariò indiget verbis seu actibus, quibus sufficienter explicetur; quia alias acceptati ab hominibus non potest. At promissio Deo facta hac explicacione non indiget; quia Deo omnia sunt manifesta. Sic S. Thom. *dicta q. 88. art. 1.* Abbas in *c. literar. n. 2. de voto.* Nauarr. *c. 12. num. 26.* Ioan. Gutier. *lib. 2. canonice q. r. 22. n. 3.* Azor. *lib. 1. c. 12. q. 1. & 7.* Sanchez *lib. 4. c. 1. n. 44. & omnes.*

4. Quod si inquiras, quo actu, an intellectu, an voluntatis, votum compleatur. Breuiter respondeo; utroque actu, & intellectu, & voluntatis completi; sed præcipue voluntatis. Ad votum namque præcedit expressa, vel tacita cognitio de voti natura, & essentia. Illiusque conuenientia, quia absque hac cognitione voluntas; nec se mouere potest, nec suscipere obligationem. Sed hac cognitione posita si voluntas se determinet ad vouendum, verbi gratia, castitatem, hoc actu vouet, & promittit; volo, ex nunc Deo obligatum esse, ad castitatem seruandam. In quo actu formalis voti ratio consistit. Nam cum illa voluntas effectus sit, & in Deum relata, ipsique cognita, necessariò obligationem parit, quod si post hanc voluntatem locutio in intellectu seu verbis succedat, quæ hæc voluntas explicetur, id ad excircamentum feruoris, & non ad voti essentiam, & valorem, spectato iure nature, pertinet; Sic latissime docet Suar. *tom. 1. de Relig. tract. 6. de voto lib. 1. c. 13. per totum. Sanch. Azor. 1. p. lib. 21. cap. 12. quæst. 8.*

